

Voluntas non applicat potentiam aliquam ad actum nisi volendo illum actum: si itaque Voluntas applicat intellectum ad iudicium, faciet id per actum quod vult ut sic & non aliter iudicet intellectus. At unde determinatur Voluntas ad hoc volendum? non potest certo determinari ab illo ipso iudicio quod vult, cum hoc, quando Voluntas id velle supponitur, nondum existat: nec determinabitur a iudicio alio, quia sic non determinaretur Voluntas ab eodem iudicio, quod ipsa determinavit vel ad actum applicavit, sed a iudicio quodam precedenti: & prætereà de isto iudicio eadem redibit quæstio: dicetur enim iterum de eò, quod tale sit, quale Voluntas velit: atque sic procedatur in infinitum. Fictitia idcirco sine dubio est illa mutua Intellectus & Voluntatis determinatio, quam nonnulli propugnant.

§. 29. Objicit Bellarminus: *Si Voluntas aliquid eligere posset contra dictamen ultimi iudicii practici, posse etiam fieri, ut in Volunte esset peccatum sine errore vel defectu in Intellectu. Hoc autem esse contra illud Salomonis Prov. 14. Errant, qui operantur malum.* Innititur hæc Bellarmini objectio nobili illi controversiæ inter Thomam, Scotum, aliosque agitata. Num voluntas errare possit nullò precedente errore Intellectus, cuius negativam, quantum ad rem ipsam, Bellarminus cum Thomâ amplectitur. Nos verò adserimus: plerumque quidem ita esse, ut errorem Voluntatis præcedat error aliquis Intellectus, vel saltim inconsiderantia ejusdem, quando non satis diligenter penetrat, quid futurum sit eligibilius, & quid pejus: quandoque tamen Voluntatis errorem nullum supponere errorem intellectus, cum fieri possit, ut voluntas etiam illud malum appetat (propter conjunctam voluptatem) quod intellectus aperte iudicavit malum esse, & vicissim illud bonum fugiat (propter adhærentem molestiam) quod intellectus aptè iudicabit optimum esse.